



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE QUI A PUERISTEMPLUM, REGINAE APOSTOLORUM
DICATUM IN URBE,

AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Qui a pueris Mariam, Christi Matrem, unice amare consuevimus, nullam sane occasionem omittimus augendae tantae Virginis gloriae, et propagandae famae, et gratiae ac bonitatis amplificandae, quantum maxime possumus: certum enim habemus quidquid honoris in Matrem impendatur, id in beatissimi eius Filii recidere gloriam, qui est Dominus Noster Iesus Christus, Verbum Patris atque spendor substantiae eius. Qua re, cum dilectus Filius Renatus Perino, Moderator Generalis Societatis a S. Paulo Apostolo, incidente centesimo anno ab ortu Iacobi Alberione, illius Societatis Conditoris, item abeunte septuagesimo anno ab Sodalitatis institutione, atque tricesimo a consecratione templi Reginae Apostolorum, quod quidem est Romae eiusdem Societatis sedes fere ac domicilium pietatis, datis litteris ab hac Apostolica Sede petierit, suo scilicet suorumque nomine, ut sacra illa aedes in album Basilicarum Minorum referretur, cumque Venerabilis Frater Noster Hugo S. R. E. Cardinalis Poletti, Noster in Urbe Vicarius, has litteras suffragio suo muniverit, Nos bene consideratis sive templi ipsius structura, quam nobili, sive pietate ac religione, quae ibi ceu ignis aluntur, violentes praeterea merita Societatis a S. Paulo quodammodo rependere erga Ecclesiam, simulque viros illos mulieresque ad altiora stimulare, bene fieri censuimus, si illius expostulationi concederemus. Iis ergo probatis, quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino de re statuerit factis olim a Nobis potestatibus, placet templum «Apostolorum Reginae», cuius mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestari, cum iuribus atque liturgicis privilegiis rite competentibus, servatis iis, quae decretum «De titulo Basilicae Minoris», die VI Iunii, anno MDCCCCLXVIII, statuit. Contrariis non obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die IV Aprilis, anno MDCCCCLXXXIV, Pontificatus Nostri sexto.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1984 - Libreria Editrice Vaticana